gaudio nos per universis ordinibus supplicantes: ut gratie tue munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per.

Oremus et pro christianissimo rege nostro, ut deus et dominus noster subditas sibi faciat omnes barbaras nationes ad nostram perpetuam pacem. Oremus. Flectamus genua. Levate.

Omnipotens sempiterne deus, in cuius manu sunt omnium potestates et omnia iura regnorum: respice ad romanum benignus imperium, ut gentes que in sua feritate confidunt, potentie tue dextera comprimantur. Per.

Oremus et pro catecuminis nostris, ut deus et dominus noster adaperiat aures precordiorum ipsorum ianuamque misericordie, ut per lavacrum regenerationis accepta remissione omnium peccatorum, et ipsi inveniantur in christo iesu domino nostro. Oremus. Flectamus genua. Levate.

Omnipotens sempiterne deus, qui ecclesiam tuam nova semper prole fecundas: auge fidem et intellectum catecuminis nostris, ut renati fonte baptismatis adoptionis tue filiis aggregentur. Per. Alia. Levate.

Oremus dilectissimi nobis deum patrem omnipotentem, ut cunctis mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, vincula dissolvat, peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, navigantibus portum salutis indulgeat. Per. Oremus. Flectamus genua.

Omnipotens sempiterne deus, mestorum consolatio, laborantium fortitudo: perveniant ad te preces de quacumque tribulatione clamantium, ut omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant adfuisse. Per.

Oremus et pro hereticis et scismaticis, ut deus et dominus noster eruat eos ab erroribus universis, et ad sanctam matrem ecclesiam catholicam atque apostolicam revocare dignetur. Oremus.

Omnipotens sempiterne deus, qui salvas omnes et neminem vis perire: respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni heretica deposita pravitate, errantium corda resipiscant, et ad veritatis tue redeant unitatem. Per.

Oremus et pro perfidis iudeis, ut deus et dominus noster auferat velamen de cordibus eorum, ut et ipsi agnoscant iesum christum dominum nostrum. Oremus. Flectamus genua.

Omnipotens sempiterne deus, qui etiam iudaicam perfidiam a tua misericordia non repellis: exaudi preces nostras, quas pro illius populi obcecatione deferimus, ut agnita veritatis tue luce, que christus est, a suis tenebris eruantur. Per.

Oremus et pro paganis, ut deus omnipotens auferat iniquitatem a cordibus eorum, et relictis idolis suis convertantur ad deum vivum et verum et unicum filium